



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africanam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. XIII. De Persis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108

cultoribus nota est, ac familiaris lingua Arabica (quæ propago est Hebraicæ) per vniuersum Orientem dispersa: vtpote quam non modò Turcæ, sed etiam Persæ, Mauri, Afri, Aegyptij, Syri, Indi, alijque populi vsurpant.

CAPVT XIII.

DE PERSIS.

Persia Asiæ prouincia est amplissima, cuius incolæ Mahumetanam quidem sectam, sed diuersam à Turcicâ sequuntur. Quo fit, vt continua ferè bella Persæ cū Turcis gerant. Xa Aabas Rex Persiæ, anno 1608. Dansbegum virum nobilem, cum literis in Aspain 20. Ian. 1608. datis, vnà cum Antonio Gouzano Lusitano ex ordine Eremitarum ordinis S. Augustini, Romam ad Paulum V. misit, & Prælatum dari petijt, qui præesset loco, *Tres-Ecclesie* nuncupato, vbi residere solet Præsul Armeniorum Christianorum. Exstant literæ dicti Regis ex Persico in Lusitanicum, ac deinde in Latinum ab Henrico Lancelotto, Doctore Theologo eiusdem ordinis S. Augustini, translata, typisque Antuerpiæ publicata. Cæterùm Gouzanus anno 1612. Episcopus iussu Pauli V. consecratus in
Per-

Perſiam redijt, magno rei Chriſtianæ bono. Habent autem Eremitæ Auguſtini, itemque Carmelitæ Diſcalceati ſua hodie monaſteria in Aſpaign vrbe Regia Perſarum. Mirkondi Hiſtoriam Perſicam ex ea lingua in Hiſpanicam à ſe translata Petrus Texera Luſitanus anno 1610. Antuerpiæ vulgandam curauit. Scripsere de rebus item Perſicis Petrus Bizarus, Barnabas Brifſonius, & Ioannes Perſa vir nobilis, ex Mahumetano factus Chriſtianus, Madriti in Hiſpania.

CAPVT XIV.

DE IVDÆIS.

ANno ſecundo Veſpaſiani Imperatoris capta eſt à Romanis vrbs Ieroſolymitana, eademque incenſa & ſic euerſa, vt non remaneret in ea lapis ſuper lapidem, iuxta prædictionem D. N. Ieſu Luc. 19. Chriſti. Ab eo tempore cœperunt Iudæi magis magisque per orbem diſpergi, iuſto Dei iudicio, ſuntque hodie per Europam, Aſiam, & Africam nationibus omnibus inuiſi, ſine lege, ſine Rege, ſub tributis in ſeruitute viuentes.

Nuſquam plures quàm in Aſia, alijsque Turcici Imperij prouincijs.

Con-